

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

BIS IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 10;
ubique extra Italiam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7½.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis
Lib. 0.50 pro unoquoque centimetro quadrato.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem
ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA

Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA

Apud GEBETHNER ET WOLF

IN ANGLIA

Apud BURNS AND OATES

IN CIVITATIBUS FOEDERATIS
AMERICAE SEPTEMTR.

Apud FRIDERICUM PUSTET

IN GERMANIA

Apud FRIDERICUM PUSTET

IN CANADA

Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES

VARSAVIAE POLONORUM

Rakowskie Przedmiescie, 15

LONDON W.

28, Orchard Street.

NEW YORK

52, Barclay Street.

CINCINNATI

436, Main Street.

S. Sedis Apost et S. Rituum Congr.

Typogr.

RATISBONAE in BAVARIA

MONTREAL

1699, Rue Notre-Dame.

RERUM INDEX

POST BELLUM AFRICANUM	P. Rossani.
LATINAe ADNOTATIUNCULAE	Maurus Ricci.
De AUDITORIIS	G. P.
HORAE SUBSECIVAE. Pugna Davidis adversus Goliath	T. Grottanelli.
HENRICUS DOMINICUS LACORDAIRE	A. Vieillot.
SEPULCRA REGUM LATINORUM HIEROSOLYMAE	A. Costaggini.
FABULAE SELECTAE FONTANII A IOANNE BAPT. GIRAUD LATINE REDDITAE	Fr. Xav. Reuss.
MARTINICAE INSULAE TERRAEMOTUS	H.D.V. Pieralice.
EX ITALIS URBIBUS. De Taurinensi bonarum artium concursu	Subalpinus.
ANNALES	Poplicola.
AENIGMATA	I. Sola.

In secunda operculi pagina:

PROSPECTUS NOVAE SUBNOTATIONIS COMM. VOX URBIS A KAL. IULII
AD EXPLETUM ANNUM MCMII.

In tertia operculi pagina:

PER ORBEM
EPISTOLARUM COMMERCII

Viator.

A secretis.

ROMAE

EX OFFICINA PACIS, PH. CUGGIANI

35, Via della Pace

M CMII

AD MAGIS MAGISQUE
“VOX URBIS”, COMMENTARII PROPAGATIONEM AUGENDAM
NOVA INDICTA EST SUBNOTATIO

A PROXIMIS KALENDIS JULIIS USQUE AD EXPLETUM ANNUM MCMII
(NUM. XIII-XXIV).

UT ACCEDERE OMNES POSSINT

SUBNOTATIONIS PRETUM CONSTITUTUM EST:

Libel. **2,50**; Mar. **2**; Sch. **2**; Rubl. **1**; Cor. **2 $\frac{1}{2}$** .

Qui insolita, gratuita paene, huius consociationis ratione frui volunt, nulla interposita mora, *nomen suum cum pretio recto tramite mittant* ad

ARISTIDEM LEONORI EQUITEM

COMMENTARII “VOX URBIS”, POSSESSOREM ET ADMINISTRATOREM,

ROMAM, via Alessandrina 87.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:
In Italia: Lib. 10 — Ubique extra italiam:
Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3, Rubl. 6, Flor. 7^{1/2}.

BIS IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:
ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE — Via Alessandrina, 87.

POST BELLUM AFRICANUM.

ANGLI tandem foedus pacemque cum hostiis acerrimis ultima in Africa ferierunt, exultis populis laeto animo nuncium accipientibus quod discordiam direptam vidissent, unde tantae haec tenus caedes, ruinae, depopulationes, commerciorum negotiorumque iacturae processerant. At simul non negarunt, quin etiam summarum virtutum documentum luculentissimum probarunt, a fortissima Anglorum gente editum, ad regnum quidem nata dignaque imperio, quod iam latissime per orbem patet. Mira enim concordia neque populus neque magistratus, licet non semel gravissimum fortunae bellicae discrimen imminere videretur, de re publica umquam dubitarunt atque constanti voluntate victoriam quovis pretio assequendam persequuntur.

Idem quod Anglis propositum coloniae eorum terra marique per mundum dissitae adseruisse comperimus, quarum ex litoribus indefatigato conatu auxilia peditum equitumque ad ultimam Africam appulere. Qua quidem ex concordia constitit unum eundemque esse Anglorum omnium qui ubique terrarum incolunt animum, Anglicum nomen imperiumque, simul conlati viribus opibusque, princeps inter gentes hodieras reddere, atque domi militiaeque potentissimum, spectaculumque ponere sane magnum, novum, idque honeste admirandum, in ratione civili gravissimum, circa populorum disciplinam exempli auctoritate maxime valens!

Quae si quis in dubium revocet mecum bellum vices sine partium studio recognoscatur.

Arma quarto id. Oct. ann. MDCCXCIX commissa: ea Boeri ultro inferentes Natal provinciam pervasere atque Ladysmith, Kimberley, Mafeking urbes obsidione cinxerunt. Tunc ipsi pariter equestri pedestrique ordine pugnare edocti, ballistis tormentisque lectissimis muniti, quinquaginta millia equitum et amplius numerabant; Angli contra triginta millia milites numero aequabant eosque parum ad bellum instructos. Itaque ad Februarium usque mensem assiduas Anglorum clades prima belli fortuna paravit. Sed tamen virtus Boerorum hanc pari peritia viguit: cunctantes enim circa sessas

urbes, etsi duces Anglos plures fuderint — et Methuen ad Belmont locum, ad Graspan, ad Modder flumen, ad Magesfontein; Gatacre ducem ad Stramberg; Buller ad Colenso campum, atque ad Spion montem, — tempus spatiumque fusis hostibus dedere sese colligendi novasse vires ex litore, quod ubique tenebant, per mare missa accipiendi et auxilia cogendi. Inde novus eorum dux Roberts, cum opportunum duxit, auctis viribus, brevi potuit suorum redintegrare fortunam, idque efficere ut copiis circumventus Cronje, Boerorum imperatorum primus, arma tradere sit coactus. Exinde iter ab Anglis initum Praetoriam versus ingenti exercitus multitudine, latissimam per frontem prooperante, atque hinc et inde hostium agmina ita minitante, ut absque pugna plerumque suis e locis eos depulerit, urbes Kimberley, Ladysmith, Mafeking e diurna obsessione solverit, denique Bloemfontein primum urbem, deinde Iohannesburg, ipsamque Praetoriam occupari. Tunc Angli decreto edicere potuere utramque rempublicam, Transvaalianam atque Orangianam, deletam.

Boeri vero numquam fracti non ante se arma posituros declararunt quam legionum suarum ultima superesset. Inde ad velitationibus assiduis divisum atque dispersum bellum, idque maxime diuturnum laborisque et periculorum plenum, in quo maxima nomina illustrata Boerorum ducum, qui nec animo nec viribus umquam demissi per biennium circiter quotidie fere obQUITANTES cum suis incursiones per sua loca duxerunt; Dewet eorum princeps, deinde Botha, Beyers, Ben Wiljoen, Kruitzinger, Delarey denique ille, qui Methuen Anglum non semel superavit.

Cui Boerorum contumaciae Anglorum constantia respondit; legiones, equites, commeatus, tormenta inexhausto impendio nova semper mittuntur, ut hostes tandem vi atque multitudine oppressi in ditionem venirent.

Bellum in infinitum duci videbatur; cui tamen bono? Angli enim satis superque ostenderant voluntatem ac potentiam suam, ac Boeri simul gentis honorem et virtutem haud minus adfirmaverant: adde praecipuos belli auctores aut decessisse, ut Caecilium Rhodes, Victoriam Regnam, Joubert hostium ducem; aut alio migrasse, ut Paulum Krugerum atque Fischer, Wessel,

Wolmarans; aut captivos factos, ut Cronje, Prinsloo, Kruitzinger, Malan; vel denique seniores aut morbis impotes, ut Stejin praesidem. Quare iam apparuit optimum esse consilium arma ponere ad totius humani generis bonum.

Itaque exactum est bellum, cui plures easque nullius momenti causas hinc inde tribuerunt; ego vero, ni fallor, altiores repeto; ex historica, dico, duarum gentium aemulatione, quae iam inde apparuit cum primum (saeculum iam defluxit) Angli milites ad litus, quod Batavi iam occupaverant, appulere. Foedere reiecto, quod obvium occurrebat, gentes illae pro castris poene steterunt; dumque Batavi secreta consilia moluntur ut Anglos ad mare usque repellant, Angli contra consilia nova fovent de late coloniis iungendis, utque ex iis Ægyptum usque ferreo tramite non interrupto Anglica via omnem Africam dividant. Imperium fortuna Anglis tradidit: eritne haec ratio ultima aemulationis illius? Anglorum prudentia in re publica administranda facile nobis suadet fore ut Africana pax numquam in posterum turbetur, utque, prouti Salisbury Angliae administrari est vulgatum consilium, revera Boeri Angliae potentiae audiatores fiant.

Absurdum videtur; si quis tamen secum ipse reputaverit victorum Gallorum atque Iberorum progeniem maximos Romani imperii honores obtinuisse, mirum haud inveniet fortissimorum virorum De Wet aut Delarey liberos posse quondam ad moderandam fortunam alterius ex maximis Britannorum coloniis deputari. Tunc Boeri fient certiores suam originem haud longe dissimilem ab aemulorum origine fuisse, unaque cum iis in cultum et humanitatem per omnem Africam diffundenda incumbent.

P. ROSSANI.

LATINAE ADNOTATIUNCULAE

Maurus Riccius Iosepho Franceschii s.

LEGANTIAE praecincta quae a me petis, ego neque calleo, neque etiam si callerem, otium mihi esset tibi tradendi. Si qua, cum meus auditor esses, acceperisti, et adhuc recordaris, ea tecum revolve. Nempe dixi ante genitivum casum posse aliquando nomen praetermitti, exemplo Tullii *De Finibus*, ubi haec leguntur: « Venit mihi Platonis in mentem », scilicet re-

cordatio. Dixi vocabula, quae laudem vel dignitatem significant, cognominibus aut nominibus hominum esse praeponenda, ut: « Primus ille urbis et imperii conditor Romulus ». Elegantiam item redolet verbum genitivi casus inter duo, quae vel illud regant, vel inde pendent: « Mirum adolescentis ingenium »; vel sic: « Quem quidem ego hostem ». Ad summam, quoties aliquid interpones, quod verba separando eorum significationem aut augeat, aut extenuet, seitus scriptor videberis: cur hoc fiat, non quaero; mens, aures verborum sonus et ordo hanc virtutem habent. Si sapiis, fac ut plerumque substantivis nominibus vocabula postponas « omnis, nullus, alienum, alterum, utrumque, nullum, solum », item « singula », et cetera huiusmodi; sed « tale » atque « aliud » antepones vocabulis « nihil, nemo », si elegantiam aueparis, ut: « Tale nihil de amico numquam putassem ». Nomina vero « superlativa » bene ceteris postpones: « Honoribus amplissimis ». Ornatus gratia, etsi redundant, adhibebis ea verba « gentium » ac « loci », ad hoc exemplum: « Ubicumque erit gentium ». Neque obliviscaris optime posse te pro regione uti populo: « Ad Italos profectus est » elegantius quam « in Italianam ». Pari laude « qui, quae, quod » post nomina « dignus, idoneus, egregius », adhibebis: « Dignus es qui lauderis ». Omitto ea, quae nonnulli, fortasse tu quoque, minime curant, ex. gr. pronomen interponere in dictionibus huiusmodi: « Incredibile quoddam adolescentis ingenium »; et pronomina, ut vocant, possessiva concordare cum re: « Caesar suo unius labore »; omittere verba « comes » vel « amicus », ut « Horatius tuus proficit »; particulam « secundum » sic vertere, Ciceronis exemplo: « Si mihi permisisses, qui meus amor in te est, confecisset cum cohaeredibus ». Sed hodie haec tenus, ne me putas compilasse scrinia alumni cuiusdam e schola primordiorum prima. Vale.

Ex scriptis M. Ricci.

DE AUDITORIIS

QUUM redierimus nostro tempore in morem, quo maiores usi sunt nostri, quibus vole fuit non modo delectari scena, sed etiam aulas habere, ubi poetas recitantes et sua nova promentes audirent, aequum commentario nostro ducimus nonnulla ad rem ferre, quae ad bonarum artium historiarumque notitiam visa sunt comparanda.

Huiusmodi aulas Latini « auditoria » nominarunt, et, ob quamdam similitudinem etiam « theatra »; aderant enim qui sedentes coram et hinc et inde, auseultarent; aderat poeta, qui recitaret. Quid si post primum, exacto carmine, veniret alter alia recitaturus? Quid si tertius, et quartus? Ac tamen certis haec auditoria patere horis necesse fuit; necesse fuit patere non omnibus, ne Thais premeret Lucretiae latus, ne canaliculae cum Catone, rabulae cum Tullio communis esset sedes, ac par. Dispositio igitur ac distributio virorum, locorum, temporum assuratur necesse est; nam nec vacuis poeta sedilibus recitasset, nec multas per horas, audituri qui venerant, recitaturn expectassent. His ergo, aut fatui sumus, iure praepositis, datisque huic auditorio, seu minori theatro, famulis, qui et loci munditiem, et portas, et sedilia curarent,

datis et iis, qui caverent ne quid accideret quod intra dignitatem adventantium non esset, in ea devenimus, quae « academis » nostris (ita quippe nunc huiusmodi nuncupamus coetus) simillima videantur. Quae quidem academiae et oratores habent suos certa hora prae-nunciata dicentes, et recitantes poetas, et disserentes philosophos, et narrantes modo, modo inquirentes argumentose archaeologos; habent loca adventantium praeparata, ut sedeant, audiuntque commodius, habent proprias leges, queis dicturi non minus quam audituri obstrin-gantur, ut quaeque tranquilla sint, quaeque urbanitati simul ac dignitati adstantium et adeuntium bene respondeant atque convenient.

Dicuntur autem haec « auditoria publica » primum ab Asinio Pollione Romae statuta circa tempus imperantis Octaviani Augsti, quippe bibliothecam exstruxerat, ornaverat, cuius ad-eunti patentem decreverat, et auditorium bibliothecae hinc addiderat, pariter cuique sua ad libita adeundum. Huius exempla passim sequuntur et Augsti et pecuniosi viri traduntur, qui thermas, qui aedificia publicae utilitati proprioque nomini servitura excitarunt.

Ad thermas autem quod attinet, illuc litteratos homines in additis bibliothecis conve-nisse scimus, qui de disciplinis colloquerentur suis magna amicorum frequentia, convenisse et quotidianos poetas, qui epigrammata attico sale et italo aceto perfusa, et quae nova edidissent hesterno carmine, proderent, frustra indignante ab Elysiis Horatio, qui nonum in annum car-mina premenda, ut emendarentur, iubebat.

At hic in ea redimus, quae antea montuimus: scilicet in ea omnia, quae servanda iis in bibliothecis et auditoriis essent, tum ut quaeque rite procederent, tum ut a locis damna ac detrimenta arcerentur, et quae usu consumpta reficerentur, et quae iudicarentur commodiora inferrentur. Ego tamen non iis assentior, qui tam nuperam recentemque affirmant auditoriorum fuisse institutionem, siquidem in promptu multa sunt, quae remotiorem institutionis huiusmodi praedicant aetatem, illam dico, in quam vitia non irrepserant, quae Iuvenalis et Perseus acerbe quidem, at iure carpunt. Numquid Iuvenalis et Perseus tantummodo? Atqui in ipsa Pollionis aetate, quae de auditoriis haberentur pulchre tradit Horatius (1):

*Ut praeco, ad merces turbam qui cogit emendas,
Assentatores iubet ad lucrum ire poeta
Dives agris, dives positis in foenore nummis.
Si vero est, uncum qui recte ponere possit,
Et spondere levi pro paupere, et eripere atris
Litibus implicitum, mirabor si sciit inter
Noscerre mendacem, verunque beatus amicu.
Tu, seu donaris, seu quid donare velis cui,
Nolito ad versus tibi factos ducere plenum
Laetitia; clamabit enim: Pulchre! Bene! Recte!
Pallescit super his; etiam stillabit amicis
Ex oculis rorem; saliet; tundet pede terram.
Si carmina condes,
Numquam te fallant animi sub vulpe latentes.*

Quibus Horatianis, quasi ad commentum et explanationem, addere placet quae ad rem Tacitus tradit in libro, qui *Dialogus de orato-ribus* inscribitur (§ IX): « Versus Bassi domi nascuntur, pulchri quidem et iucundi; quorum tamen hic exitus est, ut, cum, toto anno, per omnes dies, magna noctium parte, unum librum excludit et eluebravit, rogare ultro et ambire

(1) *De Arte Poetica ad Pisones epistola*, v. 419 et seq.

cogatur ut sint, qui dignentur audire; et ne id quidem gratis; nam et domum mutuatur, et auditorium exstruit, et subsellia conduceat, et libellos dispergit: et, ubi beatissimus recitationem eius eventus prosequatur, omnis illa laus intra unum aut alterum diem, velut in herba vel flore praecelta, ad nullam certam et solidam peruenit frugem; nec aut amicitiam inde refert, aut clientelam, aut mansurum in animo cuiusquam beneficium, sed clamorem vagum, et voces inane, et gaudium voluere ».

Itaque hisce Taciti verbis monemur auditoria esse et apud privatos (Romae autem adhuc illud Moecenatis ostenditur, in quo Vergilius, Horatius, Varus, et quamplures recitaverunt!); ea interdum et fieri in aulis, quae auditoria a fundamentis non essent; privata autem auditoria diu ante publica fuisse, si tamen publica dici possint ea, quorum usus certo tempore, certis legibus obstringebatur; angustiora foro, angustiora theatris, angustiora templis, tum constitutione temporis tum conditione venientium.

Quid vero si referam, quae, commenti causa, sequuntur Horatianos hos versus:

*.... Mediocribus esse poetis
Non homines, non Di, non concessere columnae?*

Columnae, ait commentator, ad quas vel libri venales prostant, vel poetae carmina sua recitant. Haberemus quasi pulpiti, vel suggesti picturam; quippe columnis ornaretur illa auditorii pars, in qua suos poeta versus recitaret coram sedentibus.

Quaeri potius potest utrum haec, ut ita dicam, publica, privatis, an privata publicis antecelluerint. Mihi incertum est iudicare utrum divites illi viri, principes Romanorum, sibi suique usui condita voluerint quae populus universus habebat, aut populus ea quoque sibi voluerit, quae privati sibi cives considerant, aut principes illi viri bono patriae considerint, quae commodo suo iam aedificaverant. Privata fuisse constat, eaque initium a cena coepisse. Quandomam?

*Romae dulce diu fuit et solemne, reclusa
Mane domo, vigilare; clienti promere iura;
Cautos nominibus certis expendere nummos;
Maiores audire; minori dicere, per quae
Crescere res posset, minui dannosa libido.
Mutavit mentem populus leris, et calet uno
Scribendi studio; pueri patresque severi
Fronde comas vinceti cenant et carmina dictant.*

Adde modo quae Cornelius Nepos in *Vita T. Pomponii Attici* (§ XIII) confert: « Nemo in convivio eius aliud acroama audivit, quam anagnosten, quod nos quidem iucundissimum arbitramur. Neque unquam sine aliqua lectione apud eum coenatum est; ut non minus animo quam ventre delectarentur; namque eos vocabat, quorum mores a suis non abhorrent ». Neque praetereundum hic arbitror Luculli ditissimi morem, cui duodecim in triliniis, quibus a maioribus nomen diis, duodecim quotidie ceneae parabantur. Itaque Iovis aula disputantes de rebus regulidis publicis habebat philosophos eo in apparatu lancium, obsoniorum, parietum, qui Iovem deceret; trielinium, cui ab Apolline nomen, poetas recitantes habebat, tibiisque et lyra canentes, tum simulacra, tripodes, mensas, quae Apolline non essent indigne. Dic idem de cenaculo Palladis, in quo

sapientiae numeri omnes eruditissimorum ore versabantur. Age de reliquis. Ipse vero, beatissimus omnium, quod magis libuisset, convivium ex duodecim adibat una cum iis, quos invitaverat. Quaeso, quid erant duodecim illa triclinia, nisi duodecim auditoria? Anne non placent, quia in illis cenabatur, quamvis mihi hac de causa potius placent? Habant domi, habebant ruris, habebant in hortis auditoria, bibliothecas, hemicyclia, in quibus sederent, ut solebant confabulaturi seniores, philosophi, poetae, oratores, de suis doctrinis plenissime disputantes. Quod ego, ut probem, testimonio M. T. Ciceronis utor a libro, quem *de amicitia* scripsit ad Atticum. Atque eo in hemicyclo quanta colloquientum et respondentium dignitas!, quanta auctoritas!, quanta sapientia!, quanta maiestas! Num illuc Cicero fingebat, quae nusquam hemicyclia, auditoria erant?...

Ficta voluptatis causa sunt proxima veris!

Omnē vero punctum feram ubi in memoriam revocavero, quae in oratione pro Archia poeta, romana civitate donando, feliciter Tullius suo more describit. Agitur de illo Archia, cui Luculliana domus et adolescenti hospita patuit, et familiarissima seni patebat; de illo Archia, ad quem Metellus Numidicus, Pius huius Metelli filius, Marius, M. Aemilius, Quintus Catulus uterque, Lucius Crassus, Octavii domus omnis, et Hortensii, et Cato, et Drusus veniebant; de illo Archia, quem certatim rapiebant, secum cenantum honoris causa trahebant, honoris causa medium statuebant in consessu omni summorum virorum. Atqui de eo sic Tullius: « Quoties ego hunc Archiam vidi, iudices, (utar enim vestra benignitate, quoniam me in hoc novo genere dicendi tam diligenter attenditis) quoties ego hunc vidi, cum literam scripsisset nullam, magnum numerum optimorum versuum de his ipsis rebus, quae tunc agerentur, dicere ex tempore? Quoties revocatum eamdem rem dicere, commutatis verbis atque sententiis! » Erant ergo ante Pollio's aetatem auditoria; locaticia utrum fuerint nec ne, non est nostri muneris quaerere; acciebantur, conveniebant auditum amici tum poetae, tum alii; id autem non modo C. Marii et Luculli temporibus fuisse pro certo sciimus, sed non temere dicimus vel Ennio poeta coram Laelio et Scipionibus, immo coram omni Corneliorum familia, sua carmina recitante. Privata auditoria ita dixi se habere, ut multa cum publicis, quae deinde exstructa sunt, circa adventantes haberent communia; quapropter nec minus publica dicenda sunt quae privata iudicantur, nec minus privata, quae publica. Hadriano Augusto laus est, quod athenaeum excitavit, ut poetis, ut scriptoribus, ut philosophis auditorium non esset ostiati quaequerendum.

Num vero Pollio's auditorium ceciderat? Athenaeum hoc recitantibus patuit usque ad Imperii Romani finem, nam Symmacus de illo loquitur in epistolis suis.

Num utrum prosint haec auditoria, an noceant aliquis quaerat? Quidquid de re Invenialis, quid Persius, quid quisque consentiat, aut dissentiat, mihi videntur opportuna ad aemulationem saltem nunc esse. Adolescentibus gloriam aliquam, senibus delectamentum praebent;

exercitationem omnibus. Ruere hisce ex audi toriis litteras non concedam; nam aliunde quaerenda est causa ruinae, quae latinas oppressit litteras, quae nostras nuper, tertio nondum sumus a saeculo, oppressit. Auditoria plurima opto; at ne quid litteraria res publica detri menti inde capiat, velim eruditos viros attente audire, quae pronuntiantur in iis, et, qua docti senes benignitate solent, confirmare, regere, monere tirones, ut ea sequantur, quae optima sunt, non quae videantur, ut ambitiosi a com muni sapientia non fugiant, qui timent ne ceteris existimentur aequales.

G. P.

HORAE SUBSECIVAE.

PUGNA DAVIDIS ADVERSUS GOLIATH.

Armipotens Goliath immani corpore monstrum,
Israel his dictis clata voce lacescit:
- « Agmen pro! igravum, frusta certare paratum,
Ex robis quisnam par sit committere tecum
Pugnam? » Ridens nulla audit responsa remitti,
Perculsasque metu spernit magis inde phalanges.
Probra sed impavido non passus pectore David
Irruit in medium, et regi sese obvius offert:
- « Quaeso, mihi - exclamans - sit fas concurrere soli;
In me nulla mora, et me non timor occupat ullus:
Dedecus hoc tantum nostra de gente repelle».
Cui rex: - « O quoniam te nunc insania ducit?
Tu puer hoc facinus? Tibi mors certissima ». At ardens:
- « Pelle metum - subicit iuvenis. - Tu mira videbis,
Quaque praesidio mihi sit fiducia diro.
Scilicet, aggredior cuius sub numine pugnam,
Is dabit ut redeam prostrato vitor ab hoste ».
- « Vota cadant utinam, - tollens ad sidera palmas,
Rex ait, - ampla feres tunc praemia. Numine summo
Auspice, te haud timeam virtutem extendere factis.
Ito, detque Deus lumen roburque inventae ».
Haec fatus puerum insuetis rex instruit armis;
Eximi at his iuvenis petit, arripiensque repente
Ritu pastorum nitidos lapidesque, peramque,
Atque pedum liber saevum procedit in hostem.
Ut Goliath puerum cedentem ex agmine vidit,
Despicit, atque abiens effatur: - « Mene putasti
Esse canem? » - « At non effugies, - puer inclitus inquit, -
Sufficiet praesens vires, aderique periclo,
Et clarum ut de te referam dabit ille triumphum,
Qui me servavit diris ex faucibus ursi ».
Ira ardens Goliath e vagina eripitensem:
- « Et iam persolves, - inquit, - stultissime, poenas ».
Extemplo David, divino numine fretus,
Ocyus in fundam lapidem demittit, in illum
Et rotat: iniectus volat hic velocior aura
Stridens, et frontem mortali percutit ictu;
Impius in media exanimis procumbit arena.
Hostiles dare terga fugae tunc undique turmae,
Laetitiae voces, altos et tollere plausus
Israel: - « O nostra salus, o gloria nostrae -
Exclamans - gentis, salve fortissime David! »
Victi ast ille caput victi ipsius ense recidit,
Imponitque hastae. Magna comitante caterva
Ipse triumphator petit urbem. En undique clamant:
- « Fortunatus puer, bellum tu instanti tumultu
Tu rem restituvis solus. Quis robore maior,
Quisnam animo? O audens, invictaque dextera bello!
O salve, nullus tibi iam se comparet hostis!
Quo tam praeclaro se patria iactet alumno?
Nempe suo pugnat semper cum milite Numen,
Et legit infirmos saepe ad fortissima quaeque ».

Aquis Taurinis.

TRYPHON GROTTANELLI

HENRICUS DOMINICUS LACORDAIRE.

NEC patro solo, nec maioribus meis, neque christiano nomine, neque humano genere dignus essem, solemnem si tacitus obnuerem silentio recordationem viri, his diebus clapsa saeculo nascientis, quo veluti sidere et civitas nostra gallica, et christiana res, et litterae et scientia novo sunt splendore perfusae, et magnum naetae ornamentum. Non enim huic, vel illi, non sibi, non suis, non Dominicanae familiae tantum, non Galliae Henricus Dominicus Lacordaire natus est alite fausto, sed christiana religioni, sed humano penitus generi; vox eius quippe ferme in universum terrarum orbem intonuit, et vel per ultimos orbis fines huius Apostoli scripta volitarunt.

Et quidem forensibus dedit operam studiis, nec exiguum in hisce gloriam reperiebat prudentia simul, aspectu, voce, maiores adepturus firmioribus annis, divitias pariter cum nomine magno sibi comparatur. At pestilentia illa Voltairiana exsultantem adolescentis animum arripuerat, ut mos est et necessitas in gallicis athenaeis, intendentem in iuris disciplinas, et publicae vitae exordia praeparantem, qua magnus et celeberrimus orator effectus in coetu populari demum sederet in primis, rem publicam administrandam susciperet, nomine suo Galliam, Europam impleret.

Coram haec versabantur, et iam proxima, et iam potenti tenenda manu, cum repente, ceteris nihil tale suspicantibus, ipso nihil tale cogitante, et fortassis nihil tale volenti, facta est super eum vox Dei confringentis cedros, et inclinantis superba Libani, et sternentis aspera in vias planas, et ditantis floribus arenosa deserti. Hic igitur illa imbutus eloquentia, quam adeptus erat singularem Chatenbriandi ac De Maistre volumina perlegens, pulcherrima reddens declamatione quae Lamartine, quae Victor Hugo conscriperant, audiens assiduus quae Lamennais et Michelet rotundo ore eloquentia, repente gentibus nunciat epistola insigni, quae monumentum quoddam perenne est facundiae simul et sapientiae, se veritati vietas dedisse manus, veritati mirabiliter emicanti, coruscanti, splendenti, et religione serviendae dicare se totum, terrestribus caelestia anteferens, labilia et fluxa huius mundi cum stantibus et aeternis commutans. Quinimo, ut ea praestaret, quae alta mente premebat, in Ordinem Praedicatorum, quem Dominicus Guzmanus instituit, se detulit, ibique theologiae Thomisticae disciplina excultus, sacerdos factus, praeco singularis e sacro suggestu apparuit, in quo et *Genius Christianismi* Chatenbriandi, et *Meditationes* clarissimi De Maistre, quasi discurrentia quaqua versus fulmina fulgurabant. Obstupuere audientes, et quamplurimi timuerunt ne orator hic singulari suo abreptus impetu fines aliquando sepesque calcaret, ulteriusque veheretur quam par esset, lacrimabile vulnus in catholica dogmata et in catholicas consuetudines importans, quasi levia essent, quae plurima a Calvinio ad « Encyclopédistas » christiana Gallia tolerarat. Commovebat interea gentes, quas una ad se alliciebat, ac dum hi mussantes in speculis sunt, quasi serutantes utrum excederet, illi rapiabantur virtute dicentis, et nova non tentanda

modo sed facienda probabant. Equeid enim religio, equeid fides ipsa pavesceret caelesti spatiata regione, quam neque populorum fremitus, neque concitatae multitudinis impetus super terra repentis, nec regnorum vicissitudines, et commutationes, nec motus civilium temporum, nec rerum publicarum subitae conversiones attinserent? Quae fierent, quaeque evenirent, quaeunque futura essent, vel esse possent, semper idem Deus futurus, semper idem et homo. Hic perpetuus inter terrores mortis, inter sollicitudines vitae delabentis, inter aerumnas quotidie instaurandas, inter angustias numeratorum dierum; ille inter inaccessibilem lucem aeternitatis, inter magnificentiam suorum operum, in quibus pariter admirabilia sunt oceanus et gutta roris, totius orbis caelestis machina et athomus, herbula et cedrus, bruchus et imperator.

Atqui duobus hisce Religio et Fides, quasi angularibus lapidibus, innituntur, utpote quae summam relationum horum duorum enucleant; erumpentia ex natura creatae rei ac Dei creantis, et sustinentis, et conservantis praecepta nunciant, ab obliuione, a scelere vindicant, et, quae quisque ineluctabiliter sentit pacatus animo ac secretus silentio, coram sine acceptance predicatorum personarum. Ergo nihil utrius timendum in perturbationibus publicae rei, in conflagrationibus quomodocumque aut excitatis, aut partis. Terrena et humana ibunt in melius, commodiusque populis erit iter in vita; religiosa ac divina aut stabunt altiora, aut potentiora redibunt. Dogmate incolumi, veritate integra, Religio et Fides non modo regendis se populis aptent, sed in capite procedentium fiant ut regant, ducant et corrigan. Neque timendum quid si contumaces nonnulli, si rebelles, si hostes; scriptum est enim: «Gens et regnum, quod non servierit Deo, peribit, et gentes solididine vastabuntur». Putasne haec in sexagesimo Matthei capite haber? Fortassis est ita; at uncialibus literis haec tradit historia. Ubi Chaldaeus, Assyrus, Persa, Aegyptius, et Graecus et Poenus? Laborat annalium fides ut eos fuisse credamus, quod certe minime crederemus, nisi tot in hanc usque diem effossa monumenta gentium testarentur.

Haec ille coram, sine velamine, sine reticentia, sine minis, et quasi rebus consulens patriis, et humano generi quasi prospiciens. Cum autem ii simus, qui necessitate magis quam auctoritate, emolumento potius quam officio moveamur, praesertim si officium sit cum emolumento coniunctum, minime mirandum, credo, quod non modo placuerit, sed rapuerit novo illo atque inaudito dicendi genere, quo domi, quo in templo, quo in ipso popularium oratorum coetu semper usus est. Ars artem velabat, facundia eloquentiam, sapientiam ingenium. At mirum quam profecerit; nam qui auditurus accederet, ingrediebatur templum, ingrediebatur aulam magis quasi active colloquuturus et collaturus, quam passive docendus auscultator, et eo libentius, quo sciret illie novas quasdam haberi et expendi et ventilari quaestiones, quae proprius tempora, opinones, forsitan et homines attingerent. Qua in re mirabili certe felicitate usus pariter est, quippe hodierna tempora ea sunt, quae in civilibus motibus, opinionibus

aliquid semper habeant religioni vel addendum, vel subtrahendum; religiosa autem principia, quae mores alunt, quae veritatem important, in opiniones et motus civiles pariter demum incurront. Res enim publica ferme corpus est; religio, fides tanti est quantianima corporis; atque ideo sicut in homine quidquid patitur anima corpus patitur, et quidquid patitur corpus anima sentit, sic in publica re si quid periclitetur religio, pariter etiam periclitatur respublica, et si quod in rem publicam adigatur vulnus, religio pariter vulneratur.

Hinc Lacordairio nostro fuit, ut quisque, siqua religionis et civitatis sunt, ea sua lance libraret, ut inde honos religioni, utilitas rei publicae, pax et tranquillitas utriusque ex cordia oriretur. Rapidis haec omnia sermocinationibus perniciibus tractabat, non minus luculenter tamen, nec minus argumentis illustribus. Quo factum est ut vinciret animos, ut suaderet, ut recrearet, abdicatis ornamentis et fucis et numeris oratoria artis, prout videbatur. Videbatur, inquam; non tamen erat, quippe ars optima, et naturalis facundia, et copia pulcherrimarum imaginum eloquentiae peritiam et

mox ausa portis exceedere et aciem instruere in profligandos hostes et obsidentes felici impetu irrupit.

A. VIEILLOT.

SEPULCRA REGUM LATINORUM HIEROSOLYMAE.

QUINTO idus Octobris anno MDCCCVIII cum alta noctis Hierosolymae incumberet, in Sancti Sepulcri basilica, dolo, aut culpa, aut casu excitatum erupit repente incendium, idque adeo vehemens ut sacram aedem paene funditus vastaverit. Tunc Graeci incolae, optime rati catholicos fideles atque Franciscanos sodales haud posse eo tempore instauracionum sumptus sustinere, accedente venia Praefecti infidelium, ipsi ad opus accessere. Quamvis autem non obtinuerint, quod maxime eupierant, ut Catholicis nominis custodes omnino a reliquiis sacratis simis arcerentur, id tamen efficere valuerunt ut, cum duos post annos iterum Ecclesia patuit, sepulcra regum omnino essent abrasa, qui latum regnum Hierosolymae militia erueis, bello et sanguine redemptum tenuerant, ibique prope Christi sepulcrum pie fuerant reconditi.

Quod quidem Dominicum sepulcrum, prout scribit Eusebius in *Theophania* (1), erat « spe-lunca nuper in saxo excisa nullum adhuc cadaver experta, quia oportebat unicum loculum uni insolito mortuo deservire. Miraque visu erat petra spatioso in loco sola extans erecta antrumque unicum intus habens ». Atqui, heic prope, anno CCCXXVI Constantinus imperator tria tempora exstruenda curavit, primum in Passionis memoriam (Τὸ σωτηρίου μαρτύριον), alterum in crucis loco (Τὸ σωτηρίου σημεῖον), tertium ad locum sepulcri atque resurrectionis (Τὰ κατὰ τὸ θανάτου τρόπων), quod ἀνάστασις sive a resurrectione proprie dictum est. Tempora haec post multas vicissitudines assiduasque barbarorum incursionses et vastationes, liberata tandem anno MCXXX per milites Crucis sancta civitate, sub una eademque aede connexa et conclusa sunt. Templi autem ad latus laevum spelunca hiabat in rupe, quae productis muris et ipsa templo coniuncta est sacellique ad instar exornata, erectumque in ea altare. Aedicula haec nova nomen passim medium per aetatem obtinuit « sacellum Adami », forte e traditione satis vulgata, primi patris caput eodem in antro sub Dominicæ crucis loco reconditum, ac per hiantem montis rupem sanguine morientis Redemptoris fuisse ablutum; quae refert quoque S. Hieronymus, fidem rei tamen et lectori soltam permittens (2) et alias « favorabilem interpretationem » rem appellans, « mulcentem aum rem popularem, nec tamen veram » (3).


Atqui hoc adamussim in loco regum latinorum exuviae reconditae, Godefridi nimirum triumque praesertim qui post eum novum regnum habuere. Godefridus « gratia Dei, ecclesiae Sancti Sepulcri nunc advocatus » ut ipse, regium titulum aspernatus, de se scribebat (4), obiit anno MC, quintodecimo kal. Augst. atque « se-

(1) Migne, Pat. Gr., T. XXIV.

(2) In Ephes., V, 14.

(3) Comm. in Matth., I, IV, c. 27.

(4) Cfr. VILHELMUM TIRIUM, I, IX, c. 9.



Sepulcrum Godefredi de Bouillon
Boloniae Galica in urbe renovatum an. MDCCCIC.

studium sublime occultabant. At qualis concionator et orator, talis exstitit scriptor. Quae pro libertate docentis Ecclesiae egit, socio illo Montlambert, eadem iuventa florente, talia sunt ut aeternitate digna penitus videantur. Ideo, ut ipse de se dicere interdum solebat, quasi prae-nuncius venturae aetatis civis non modo existimatus, sed fuit, non habitus modo sed cognitus, ac talis in ipso exordio haberi coepit est, qualem postea sui cives cognitione iudicarunt, qualem anni qui sequuti sunt, et quod nunc incipit saeculum comprobaret.

Iure igitur, eius, qui duodecimo mensis Maii die anno MDCCCI natus est, memoriam recoluimus pro his quae vivens egit, pro his quae, exemplo faciendi praestito, facienda reliquit; nam huic ingens et decorum est in apertam aciem primo descendisse, et coram conseruisse manus cum hostibus, et subvertisse. Fabio Maximo laus est quod numquam ab Hannibale victus sit, at aliquid gloriiosius Marcello tribuimus, quod, apud Nolam praelio facto, vinci posse Hannibalem demonstrarit. Plures quidem fuere catholicae veritati eo tempore Fabii, Marcellus autem hie unus, quem tot postea, aemulatione et exemplo edocti, Scipiones sequuti sunt. Atque ideo quae prius tantum e castris et vallo Ecclesia depugnans, oppugnantes arebat,

pultus est in ecclesia Dominici sepulcri sub loco Calvarii ubi passus est Dominus » (1).

Baldovinus I frater eius in regnum ei succedit, qui tamen decem et octo post annos assiduis praeliis absemptus Martio mense obiit, pariterque reconditus est « iuxta fratrem sub monte Calvariae in loco, qui dicitur Golgotha » (2).

Fratrum sepulera praecipua ea forma ereta fuisse creduntur, quae tunc temporis in moribus erat « basiliculae nomine » distincta: imposito scilicet quatuor columnis, parvis quidem atque elegantibus, tecto in trianguli solidi figuram, cuius in facie funebres inscriptiones erant insculptae. Inscriptio autem Godefredi cineribus apposita, quae cum eius monumento Boloniae nuper est restituta, eiusmodi erat:

HIC IACET INCLYTUS DUX GODEFRIDUS
DE BULLON QUI TOTAM ISTAM TERRAM
AQUISIVIT CULTUI CHRISTIANO
CUIUS ANIMA REGNET CUM CHRISTO. AMEN (3).

Verum, quoniam multo recentior huius inscriptionis stilus videtur, quam ut ad aetatem qua Godefridus mortuus est referri possit, investigantibus sedulo antiqua monumenta vetustior inscriptio patuit in latinum opusculum relata: *De situ urbis Ierusalem et de Locis Sanctis intra ipsam urbem sive circum iacentibus ab ignoto auctore saeculo XII ineunte digestum* (4); ubi haec de Godefrido leguntur: «... sepultus est sub incomparabili moerore ante Golgotha ubi crucifixus est Dominus noster. In cuius tumulo hi versus scripti sunt:

*Mirificum sidus, dux hic recubat Godefridus
Egipi terror, Arabum fuga, Persidis horror.
Rex licet electus rex noluit intitulari
Nec diademari sed sub Christo famulari.
Eius erat cura, Syon sua reddere iura.
Catholiceque sequi sacra dogmata iuris et equi,
Totum scisma teri circa se, iusque faveri.
Sic et cum superis potuit diadema mereri
Milicie speculum, populi vigor, anchora cleri.*

Omnino similis huius inscriptio legebatur Baldovini sepulero apposita:

*Rex Baldewinus Iudas alter Machabeus.
Spes Patriae vigor Ecclesiae virtus utriusque
Quem formidabunt cui dona tributa ferebant
Cedar et Aegyptus, Dan ac homicida Damascus
Proh dolor in modico clauditur hoc tumulo.*

Haec itaque erant sepulera duo tamquam custodiae vigiles ante illud « Adami sacellum » posita, quibus proximitate eodem ordine Baldovini II regis atque Fulonis ex gente Angioina tumuli erant. Ille enim postquam duodecim annos regnauit, fessus laboribus atque proeliis, in disserimen mortis devenit. Tunc autem: «... coram Patriarcha et Baronibus se regali exuens dignitate genero Fulconi filiaeque sceptrum regni concessit; dixitque se velle Christi amore in pauperie mori, et canonicorum regularium S. Sepulcri habitum suscepit ubi et sepultus est » (5).

Sed Fulco quoque tredecim post annos ex equo collapsus obiit relinquens filios pueros


(1) Ibid., c. 28.

(2) Loc. cit.

(3) Hanc transcripsit anonus *Bellarum Sacrorum historiographus* anno MCCCLXXIV; at eius vestigia post incendium an. MDCCCVIII excitatum, nulla supersunt.

(4) Huius opusculi ms. exaratum inter annum MCLI et MCLVII habetur in exemplari chronic. Roberti Monaci apud Bibl. Parisiensem n. 5129.

(5) MARINI SANUTI, *Secreta fidellum crucis.*



Sepulcrum Regum Latinorum Hierosolymae.

1) Sepulcr. Godefredi.	5) Sepulcr. Balduini III.	a) Aditus ad Ecclesiam S. Sepulcri.
2) " Balduini I.	6) " Amalrici.	b) Sacellum " Adami "
3) " Balduini II.	7) " Balduini IV.	c) Chorus Graecorum.
4) " Fulonis Angioini.	8) " Balduini V.	d) " Petra unctionis "

duos maternae tutelae commissos. Delatum eius corpus Hierosolymam: « ... occurrente clero et populo in ecclesia Dominici sepulcri, sub monte Calvariae, introeuntibus ad dexteram secus portam, inter alios felicis memoriae reges... sepultus est » (1).

Melisenda uxor eius regnum tenuit quoadusque filius natu maior Baldovinus eam renuentem e throno descendere armis coegerit linquere sceptrum. Anno autem MCLXI mortua, regina sepulta est: « ... in valle Iosaphat descendentibus ad sepulcrum Beatae et intemeratae Dei Genitricis et Virginis ad dexteram in crypta lapidea » (2).

Baldovinus III, eius filius, et qui ei successere in basilica Sancti Sepulcri pariter tumulati sunt; sed alio ordine prope murum, quo hodie chorus Graecorum ocluditur, haud quidem, ut primi illi reges, sub monte Calvariae, sed ante Calvariae locum, ut Vilhelmus Tirius testatur: « ... cum summa reverentia et regalibus exequis... in ecclesia Dominici sepulcri ante Calvariae locum... honorifice inter suos praedecessores sepulturae traditus est » (3). Theodericus autem monachus, qui anno MCLXXII loca sancta peragravit, (4) sepulcrum describit primum inter quinque qui eodem ordine e septentrione ad meridiem disposita erant, atque enarrat « pretioso opere factum et pario mar-

more et choro contiguum, fratri est regis Hierosolymorum nomine Baldewini ».

De Amalrici fratri eius, qui ei successit, tumulo haec tantum a Vilhelmo ipso Tirio adnotatur: « Sepultus est inter alios praedecessores suos, secus fratrem, in eadem linea, ante locum Calvariae »; verum de huius monumento, iam a saeculo XVI, cum Palaestinam Ioannes Cottovicus visitavit, legitimus nulla vestigia, uti et de Baldovini sepulcro, superfuisse.

Amalrico Baldovinus successor, nomine IV, qui tamen postquam bis iam Saladinum hostem strenuissimum superasset, lepra confectus decimo septimo kal. Aprilis anno MCLXXXV mortuus est. Hie quoque « cum suis patribus » iuxta animum saec. XII scriptorem, « iuxta chorūm sancti sepulcri traditus est sepultus ». Successorem regni reliquit puerum sororis filium Baldovinum nomine V, in tutelam Sibillae matris atque Raymundi comitis Tripolitani, qui cum quinquennis rex esset coronatus, octavo vix aetatis anno vita est functus. Tunc Sibilla regnum adipiscitur atque sponsum Guidonem a Lusignano regem clamat. Inter haec Baldovinus ille V puerulus reconditur et ipse « in parvo sepulcro » iuxta avunculum; cuius quidem sepulcri Quaresmius in suo eruditissimo opere de locis sanctis refert epitaphium:

SEPTIMUS: IN TUMULO PUER: ISTO REX TUMULATUS
EST: BALDEVINUS: REGUM: DE SANGUINE: NATUS
QUEM: TULIT: E MUNDO: SORS: PRIME CONDITIONIS
UT PARADYSIACE LOCA: POSSIDEAT REGIONIS.

Atque melior ferme fortuna puero favit quam Guidoni illi Lusignano, qui paulo post in pugna ad Tiberiadem captus, finem re certe, nisi iure, latino regno Hierosolymae condito, impo-
suit, atque urbem sanetam iterum ab infidelium
armis occupatam vidit, ex quibus numquam
deinceps liberata est.

Attamen Graecorum rabies et livor peior ferme
quam odium Turcarum exarsit, qui aemulatione
latinæ gloriae victi, et epitaphia abra-
dere, et petras confringere et omnia latinorum
regum vestigia paulatim e sepulcro Domini
amovere ita conati sunt, ut saeculo XVI iam,
prout diximus, nullae fere supererent reliquiae
sepulcerorum, quae ultimos reges acceperant.
Manserant tamen sepulera Godefridi primi regis
atque eius fratris Baldovini I, quae post incen-
dium illud anni MDCCCVIII tandem subversa
sunt. Atqui tot fideliū itinera ad loca sancta
suscepta, horum monumentorum indelebilem
memoriam servavere, quorum indicis eductus
diligentissimum, eumque auctoritate simul atque
pietate insignem, librum nuperrime vulgavit
Iauarius Angelini (1); nos autem heic brevi-
ter nimis pro spatii angustiis recoluimus, con-
tenti tamen quod argumentum saltem magni
ponderis et latinam gloriam respiciens attigeri-
mus.

A. COSTAGGINI.

(1) GENNARO ANGELINI *Le tombe dei re latini a Gerusalemme*. — Perusiae ex off. typogr. cooperativa, MCMII.

Bonorum salutem custodit, qui malos punit.

LACTANTIUS.

12]

FABULAE SELECTAE FONTANII
A IOANNE BAPT. GIRAUD LATINE REDDITAE
PASSIM RETRACTATAE A FRANCISCO XAV. REUSS.

XLIX. — GRACULUS.

*Exuerat pennas volucris Iunonia, pavo;
Ornat se nitidis graculus exuvii.
Qui mox gemmatam pavones explicat inter
Caudam, nativum ceu decus ipse ferat.
Fraus tamen haud latuit; sannisque probrisque petita,
Furtivis opibus despoliatur avis.
Quae fugiens patriasque rediit, implumis, ad oras,
His etiam merito sedibus exigitur.
Graculus est noster plagiarius; hic aliorum
Exscribit libros, quae sua scripta crepat:
Ex his agnori plures, quos prodere nolo;
Indignor tacitus, praetereoque viam.*

L. — CAMELUS ET FLUCTUANTES BACULI.

*Immani primus qui vedit mole camelum,
Territus hoc monstro, terga repente dedit.
Proximus accessit trepidans; formidine missa,
Tertius iniecit stupea vincla ferae.
Sic crebro solet aspectu mitescere quidquid
Crudius est visum terrificumque prius.
Nec mirum: longo cunctis assuescimus usu.
At factum referam, quod subit ecce mihi.
In specula vigiles stabant; e littore longe
Rem prospecerunt, quae fluitabat aquis:
— « Regia — dixere — est puppis ». Mox, testibus isdem,
Ignifer est lembus; cymbula deinde fuit.
Sarcina paulo post fit mercatoria; tandem
Esse liquet baculos, quos agit unda, leves.
Quot similes baculis homines! Procul esse videntur
Magnum aliquid; proprius, conspicis esse nihil.*

MARTINICAE INSULÆ TERRÆMOTUS.

SUBSULTANTE solo, dehiscentibus terris, im-
mani boatu montibus circa ululantibus, su-
bitis emicantibus flammis, ardente caelo atris
incendiis, terrae hiatibus evomentibus saxa, ci-
neres, lapillos, fulgura, fulmina, pulverem, ar-
dentia sulphura, vapores mortiferos, ebullientes
aqua, igneos fluvios, irrumpe in terras Oceano
et allidente in urbis aedificia navigia, et magnis
cum fluctibus rapiente in regressu quassatas
domos, cadavera hominum pecudumque passim
per rudera interiacentum,

*Quis cladem illius terrae, quis funera fando
Explicit, aut possit lacrimis aequare dolorem?*

Solitudo nunc est, et ruina late ingens ubi
nuper florentes erant agri, uberes campi, urbs
ingens, frequentia gentium, commerciorum mo-
tus, negotiatorum mercatorumque populus, vi-
ridaria amoenissima, pomaria, vineta, luci. Et
haec omnia consumpsit, voravit hora praecepit!...
Horane? Vix momenta tria vel quatuor satis
superque tantae calamitati, tot excediis fuerunt!...
Horret meminisse animus, et luctu refugit a re-
cordatione immanis exterminii, territus. Quae
narrantur vix credimus, et credenda tamen sunt;
nam urbs, cui nomen a Sancto Petro in Antillis
insulis nihil aliud nunc est, nisi inconditum
quiddam, neque litus, neque campus, neque re-
gio; sed vasta ruina, super quam emicat ignibus,
cinere, tonitru, favillas et sulphura eructans et
lapides adhuc, mons ille Pelée, quasi carnifex
torvus cadaveribus praesens victimarum suau-

rum, quasi tyrannus atrox, quem non satia-
vere, non explevere tot caedes, et vigilat ne
quis ambusta, obtritaque, et iam putrescentia
corpora pia recondat humo, honoretque lacri-
mis, exequis, sepulcro. Quinimo en iam circa
per proximas insulas minae pares; paria in-
cendia furiantibus pariter montibus hiantibusque
miscentur morte miserrima incolarum, quibus
non mare contra ignes, non tellus, non montes
contra fluctus profuerunt!...

Quadraginta ferunt hominum millia horrendo
periisse genere mortis; incertum quot suffocata
sint exhalatione mephitica, quot oppressa mol-
laribus saxis e caelo, grandinis more, pluen-
tibus, quot flammis semicremata, quot undis
abrepta, quot rictu abyssi inopino absorpta,
quot ruinis oppressa tectorum, quot superla-
bentibus contrita parietibus, quot non uno mortis
ungue lacerata et simul occisa, sed plura per
excidia raptata ferociter. Nec tamen adhuc solo
quies, nec quassationibus, nec terroribus mora.
Iam proxima Sancti Vincentii insula eodem
flagrat incendio, eadem exterminia experitur,
et ultra duo hominum millia luget extincta.
Tum a Martinica, tum a S. Vincentio qui re-
liqui sunt, id unum quaerunt, maturare fugam;
exspectare, invocare adventantes in litora naves;
fame, siti pallentes, unum orare ut primi trans-
ferantur in terram, quae non dehiscat, sub
caelo, quod repentina non concipiatur flamas,
apud urbes et oppida, quorum domus impetu
subterraneo non agitantur, non nutent, non cor-
ruant in hospitum capita. Haec horrenda visu;
at inter haec civitatum omnium discurrit ea-

LI. — EQUUS.

*Olim liber erat sonipes nec adactus herorum,
Instar mancipii, triste subire iugum.
Dum nostros aluere patres silvestria poma,
Silvas incoluit mulus, asellus, equus.
Tum neque clitellae nec ephippia visa, nec arcas
Opplebant biungi quadriuquaque vias.
Deerat item coenis quam mollior attulit aetas,
Longa nimis series, aut peregrina dapum.
At cerebros equus bellum cum praepete cerco
(Nescio qua de re conquereretur) init.
Cornigerum cursu cum non attingere possit,
Orat, suppetus det sibi dexter homo.
Insilit hic in equum, cui firmas aptat habenas,
Admoveat et lateri calcar utrique frequens;
Nec prius absistit, quam praedam captet anhelam,
Prostratamque solo cuspide conficiat.
Tum grates homini reddens equus: — « Ad mea prata
Contentus redeo — dixit — amice, vale ».
— « Non ita — subdit eques — te nunc mea villa tenebit:
Expertus video commoda quanta feras.
Hic igitur deges: pingui vesceris avena,
Vis neque deficiet straminis usque novi».
Heu! cui libertas periit, quid pabula prosunt?
Ergo se quadrupes desipuisse dolet;
At sero nimium: gemebundus tecta subire
Cogitur, arbitrio non reseranda suo.
Lora trahens obiit: sapientior ille, levem si
Offensam fratris dissimulasset amans.
Vindictae constant tibi gaudia carius, haec si
Empta bono fuerint, quo pereunte, peris.*

LII. — VULPES ET CAPUT AENEUM.

*Est tragicae similis larvae pars magna potentum,
Quorum plebs speciem suspicit atque colit.
Externam satis est asino spectare figuram;
Rimari vulpes, quod latet intus, amat.*

*Abdita quaque manu tangit; ridetque, decoram
Si praeter faciem riderit esse nihil.
Tum mordax iterat dictum, quod protulit olim,
Aenea frons clari cum sibi visa ducis.
Maior erat vero, tenui sed ducia metallo
Frons; et opus vulpes grande carumque stupet:
— « O caput egregium — dixit — sed inane cerebri! »
Quot celebres cerebro sic caruere viri!*

LIII. — LUPUS, CAPRA CAPRAEQUE PULLUS.

*Capra parens vacuum flaccumque replere parabat
Uber in herbosis, vere recente, locis.
Discessura, fores, ut pessulus arceat hostem,
Obserat, admonito sic bene filio:
— « Ostia ne pateant peregrino cuique, caveto;
Ostia clausa tene, si tibi cara salus.
Symbola posce, fores si quis pulsarit; is edat
Haec mea verba: Lupis sit male pestiferis! »
Quae dum cauta monet, lupus illac transit, et aure
Furtim dicta legit, lectaque mente tenet.
Ut procil est mater, quae nec conspererat umbram
Raptoris, raptor percutit ungue fores:
— « O aperi! — dixit vocem mentitus amicam;
Adiecitque: « Lupis sit male pestiferis! »
Iam velut exceptus gaudet; sed pullus, ocello
Rimis admoto, suspiciosus ait:
— « Album porge pedem; quo viso, limina pandam».«
Albus enim raro pes solet esse lupis.
Proditus obstupuit nebulo, qui ventre latrante
Huc cum venisset, ventre latrante fugit.
Tu si forte fidem verbis, mi pulle, dedisses,
Quae lupus audierat, nunc ubi, pulle, fores?
Praestat bis cassis sibi; prudentia numquam,
Sit licet ex nimio nata timore, nocet.*

(Ad proximum numerum).

ritas operosa: loricata navigia, omerariae naves, phaseli, quidquid ex hoc genere quod vapore, velo, remo, ligno, ferro supernatet undis, vehere possit, cibos adducere, a periculo auferre, missum illue est, et exodus lacrimabilis incipit ac perseverat, quem non vices noctis, non aestuorum pelagus retardant. Eequid lugubrius, eequid funereum magis quam deserere sine fletu patet, carissimos suos inhumatos relinquere, nescire utrum quis ex amicis adhuc spiret famelius, ubi sit, quot in aerumnis versetur? Unum est omnibus, qui rari superstites adhuc, infidum fugere solum, malignum aërem, pestilentem exhalatione sulphuris, undique olen temputredine inseptulorum.

Atque utinam hic finis esset omnium aerumnarum! Egeni, angustiati, afflitti, quibus nulla argenti vis, nullae vestes, nullus cibus est, nisi quem dederit pia dextera tantorum miserata malorum, abeunt; at nullum circa litus fugientibus tutam: nam undique, in ipso itinere, quae circum laeibus colludent ignibus, insequitur abeentes fragor montium tonantium, subter aestuat ebulliens mare, desuper tenebrosum ingruit caelum perpeti horrens caligine.

Fama est olim, quidquid nunc obtinet Caraibum mare, fuisse terram ingentem; subitanus hiatus, subitanus conflagratione una cum habitatoribus consedisse, undis invadentibus loca dehincientia; incolas una cum regione sua periisse, ac solummodo apices alpium, qui nunc sunt insulae vastissimi sinus, remansisse. Opinio inest omnia, quae illie supersunt adhuc, eodem quandocumque fore peritura extermilio. Unde nam ista? Dicuntur Caraibes horrendum olim admisisse scelus, quo Numinis ira concitata, eos delere decernens, partim illico incendio sustulit, regionemque ipsam execratam flammis et mari operuit; partim, — quippe nonnulli, in illa horrida vice, montium culmina petiverant —, Hispanis inductis Christophoro Columbo duece, ferro et servituti reservavit extinguendos; signi tamen pertinacius vitae illic haesissent, hos omnino, sublata penitus terra, deleret. Quid in hac traditione Caraibica veritatis lateat, prorsus ignoro; facta, quae narrat, malo magno vera experimus. Ceterum in aperto est Caraibes plures in insula S. Vincentii habitasse, hos loca praesertim coluisse, in quibus Vulcani repente ira furiavit; atque nec unum ex aborigenis mortem vitasse; quinimo inter illa mortalium millia, quae subterraneus ignis illic absumpit erumpens, maxima pars ex Caraibis erat. Adhuc nonnulli supersunt in insulis Dominica et Sancta Lucia. Haec autem notata volui, non ut huiusmodi crepundiis habeatur fides, sed ut illud arenum sensum asseram, quo (ni fallor apud Macechiavellum id notatur) gentes, populi praesagam quamdam gerunt mentem malorum suorum, siue finis; praesagio pariter quodam magnas commutationes et subversiones reipublicae praesentient et ante diem annuntiant, nec apud eos desunt signa quaedam in caelo, et monstra quaedam in terris, quibus, quasi praeviis atque praenunciis, de ira superum, quasi «ut fugiant a facie arcus», admonentur.

Sed haec nostrum, quodcumque est, argumentum minime spectant; ea vero diximus, ne quis negligentiae nota nos inureret; nam si ea præterivimus, quae apud autores plures de Ca-

raibis narrantur, scilicet admonitos iam inde fuisse de futuro adventu hominum barbam habentium, non ignorantiae, non socordiae causa omisimus, sed quia arbitrii sumus in hanc elucubrationem minime facere, et minime opportunam huiusmodi recordationem venire. Nunc ad ea redeo, quae res nostra postulat, eruntque caput tractationis, quam animo versamur, tempusque locumque idoneum nancisci videntur.

Historiae monumenta, narrationes gentium a patre in filios, quae «traditiones» vocantur, et quarum clarissimi et scitissimi viri memoriam in libris suis interdum facere non dubitarunt, plurima referunt excidia gentium, regionum, et urbium, quae hodiernae cladi, quam in insula Martinica et adiacentibus deflemus, non longe distant; quin etiam haec ultima non ultimum inter illa obtinet locum. Diversitas unica in hoc, quod ex hisce fuerunt, quae ad unguem narrata sunt a superstite populo; fuerunt, quae narrata sunt a conterminis et adiacentibus; fuerunt, quae vix famae exiguae credita sunt; fuerunt, quae prorsus ignota manse cum superstes nullus exstiterit, ne locus, ne regio quidem; fuerunt denique, quae, regione et locis manentibus et signa, indicia, notas facti exhibentibus, factum profecto ostendunt, at nihil ex hisce habemus quod scrutanti altius et altius perspicere volenti ostendunt, idque tum ignorantia litterarum, tum bellis, quae monumenta eiusmodi omnino abstulerunt. Do exemplum iuxta singula. Quid resciremus de illo Mare Mortuo, seu lacu Asphaltide, ubi Sodoma et Gomorra fuisse narrantur? Atqui in saeris Hebraeorum litteris continetur quod satis est ad indicandum, illie aliquid fuisse, quod ex conflagratione subterranea, ex incendio montium adiacentium arserit, quod subsederit, quod Pentapolim infelicem absorberit, et aeterna palude graveolente obruerit et obtexerit. Habes igitur hic quae Loth superstes narraverit, quod inde Moyses et historia Hebraeorum admiserit, ac in posteros demandaverit.

Quae vero famae exiguae credita sunt, habemus in illa conflagratione Aventini montis, et Capitolii, et Palatini. Hisce ex incendiis nihil restat, praeter traditionem fabulosam Caci, qui, Vulcani filius, paternas

Ore vomens flamas, magna se mole ferebat.

Tophi vero, et quotquot vulcani vim manifestant, illie sunt; quibus ubi addideris nomina ipsa Etruscum linguam sonantia, facile cetera noscere. Neque longe sunt ab his, quae narrantur de Atlantide submersa, de Lemuria, apud Platonam, apud Sinenses et Indos; tum quae de gentibus scimus, quibus patria circa Albanos tumulos erat; nam (prouti alias in *Voce Urbis notatum est*) cum ad dimidium elapsi saeculi via sterneretur prope Albanum in Latio, ingens tophacea rupes reperta est multis alta metris, opus vulcanicum certe; at profundius fodientes invenere semiambustas sub illa pauperum casas, ossaque habitantis anus edentulae, et ulterius exiguum vici necopolim. Nullum de his reliatum monumentum habebamus, sicuti nullum de Carseolana planicie, per quam cum ferrivia foderetur, inventus est lucus, inter tophos superiectos candenti lapillo, speciem arborum adhuc limpide in vitratis ramulis alabastrinis-

que ostendens; corallum inter hanc sylvam repertum est, quo mulieres ornantur, quinimo et foliae castaneae quibus manifestum fuit inter Iulum et Augustum mensem illie incendia ferbuisse. At nemo de illo vulcano memoriam prodidit, et tamen locus dicitur «Sesara», quod est: «fixura mala»; sunt crateres limosi vulcani, sunt arenae, sunt tophi, denique rivus dicitur Camaranus; «Camar» autem idem ac «ferbuit»; sunt circa montes saxa igne corrupta. Ecce locus vulcano absorptus et subversus, in quo superstes nemo fuit, qui narraret. Iam quot insulas habet Oceanus in gremio deglutitas hiatus subito? Plures notantur in chartis marinis, quae nunc amplius non exstant. Habemus modo vulcanos, quorum excidia historiae referrunt; cuiusmodi Vesaevus prope Neapolim, quo ferme subversae, omnino obruta sunt Pompeii, Herculaneum, Stabia; et, ne dicam terrae motus Ulissyponis et Messanae (MDCCCLIV, MDCCCLXXXIII), habemus quid factum sit ad Caracas an. MDCCCXII, et ad Krakatoam an. MDCCCLXXXIII. Ingens hisce terraemotibus interemptorum numerus, nec qui Martinica in insula saevit, minor, data proportione, habendus. Quaenam ergo tantorum causa damnorum, tamque frequentium?

H. DE VECCHI PIERALICE.

EX ITALIS URBIBUS

De Taurinensi bonarum artium concursu.

EST Augustae Taurinorum ad meridiem regens quasi et locupletior urbs, aedibus ornata, portu, hortisque amoenissima, laetis arboribus consita. Illue, primo vere, atque aestivali tempore, ad captandum frigus, animi causa, se conferunt cives. Omnia circum ad laetitiam vocant, sive tu respicias ad levam partem sive ad dexteram: hic adest Eridanus, qui *sonoris plurimus volvit undis*, et praeter ripam dulcis clivus se extollit, ubi beatiores homines villam sibi condere consueverunt; et longius, quasi ad sidera se elevans, Supergae collis, ubi Carolus Emmanuel III, Victorii Amedei II filius, vix regnum auspicatus, templum dedicavit, quod, obsessa urbe, pater voverat. Ipse enim anno MDCCVI, quum urbs Augusta Taurinorum a Gallieis copiis obsidione premeretur, Supergam collem conscendit, hostium castra inspecturus, vovitque, si viciisset, templum se Virginis Matri in summo clivo excitaturum. VII idus Sept. commisso proelio, tam insignem victoriam de Gallis retulit, ut urbem in libertatem vindicaverit, et diuturno bello finem imposuerit. Ad occiduam vero se attollunt Alpes, quae nivibus perpetuis albescentes, regionem nostram muniunt simul et decorant.

Hie, haud procul a viridario, quod olim Valentilla Francica, ne sibi suisque suburbanum secretum deesset, maximo cultu exornavit, nova ac repentina continuarum aedium series exstructa est, ubi, summo studio, ingenioque est nuper collectum quidquid pertinet ad artem, quae res exornare maxime studet. Omnes curas et cogitationes, huius consilii auctores, illue contulerunt, ut italica soboles severissimis elegantiorum artium studiis iuxta ac bonis moribus excoletur.

Quod in mysticis olim certaminibus a Graecis fuisse factitatum accepimus, ut alii aliis facem per manus traderent, illue spectabat, non modo ut Deam Athenarum potentem colerent, aut plebis animus, uti fit, quodam veluti spectaculo caperetur, sed hoc facto, veteres illi sapientes dum Palladem omnium artium inventricem venerarentur, arcane quodam sensu progressum disciplinarum viderentur adumbrasse, quo aetas aetatem inventis suis, quasi totidem facibus, sic auget, ut ad supremum illum doctrinae gradum perveniamus, ad quem hominum mens possit adsurgere.

Hac de causa ut praesentia, alloquio, omnium civium adventu, rei maiestatem adderet, hue brevi tempore convenit Victorius Emmanuel, huiuscem nominis tertius, cum Helena coniuge, hue Augustae domus principes, hue administris regni atque oratores a populo delecti, et complures ex omnibus Italiae civitatibus. Quamobrem haec nostra civitas denuo regni totius caput per illos dies visa est.

Hi viri spectatissimi, occasionem nacti, ad civium iucunditatem complura intelligenti indicio, excogitarunt. Inter quae memorare iuvabit fuisse statuam aeneam dedicatam memoriae honorique Amadei, Augustae Salassorum ducis. Hie enim poene puer multa tulit fecitque. Alter Victorii Emmanuelis II filius, cum anno MDCCCLXVI pugnatum est infelicitate ad Custosam, ipse, supremus Italorum equitum ductor, fortitudinis laude inclaruit, et militis munus alaceriter fungens, fractis Italorum opibus, quum rei restituendae iam nulla spes esset, adverso vulnere sauciatus, tunc demum, a suis rogatus, e pugna discessit. Sed qua erat animi vi, quietis impatiens, mox ad castra rediit. Cum maxima rerum et hominum prudentia elucesceret, ab Hispanis ad regnum adlectus, non scena aut hominibus inserviit; parem se difficultatis temporibus exhibuit. Namque vix regnum auspicatus clementiae laude iam de se non spem, sed fiduciam attulit. At factiosis rem publicam obtinentibus, regno, quod neque desiderio optaverat, ultro ac libentissime abdicavit. Eum ab Hispania reducem suorum laetitia, obsequium, gloria comitantur.

Tunc curis publicis vacuus, cum Victoria, coniuge suavissima, matrona antiquae sanctitatis maximique consilii, quae in miserorum fortunis sublevandis solatia vitae quaeaserat, liberos in spem virtutis sollerter eduxit, famulosque benigne, large pauperes habuit. Benignus, civium commodis humanissime inserviens, multos mortales effusa beneficentia demersens, omnium sibi benevolentiam atque admirationem conciliavit. Obiit insigni civium luctu anno MDCCCLXXXIV. — Insidet equo, ac plane paludatus, quasi suos ad pugnam invitit.

Opus politissimum atque omni intelligentis iudicij viro probatissimum; artifex enim novo consilio atque artificio, in anaglyptis complures circum statuas honoris ergo effingendas curavit, quae ab stirpe maiores domus Augustae referent, quorum vestigiis insistens Amaeus, virtute, sollertia, opera, stetit atque refulsit.

Postero die, in verticem collis Supergae, e regione urbis Taurinensis in templum quod, ex voluntate patris Carolus Emmanuel III ex-

struxit ingenio praecriptoque Iuvara, se constitutus Rex Victorius Emmanuel III cum principibus, monumentum auspicaturus dedicatum memoriae Umberti I, Modoetiae abhinc tres annos atrociter confossi.

Eminet altior columna lapidea, mira arte confecta, habens in cacumine aquilam vulnere sauciata, in basi signum anaglypticum ex aere referens Umbertum ipsum, qui gladio portendit nomina urbium, quas, hic lue grassante, adventu, alloquio, liberalitate invisit.

Illie, in maximo civium advenarumque cursu, cum in mentem omnium revocatur Umberti virtus, eiusque manes precibus iubentur piaculari, reges, populi, popolorumque rectores monentur. Animus tristis est, et dum haec seribo subit illud Vergili:

Heu! nihil invitis fas quemquam fidere divis!

Nil enim sacri religiosique interfuit praeter quod Augusta domus in Supergae vertice proposit. Utinam cultores bonarum artium in concitatissimo huius aetatis cursu, quo humana cuncta ferri atque aucta procedere videmus, quemdam illis finem esse constitutum sentiant, quem transilire nefas sit, quemque, ubi attigerint, vel felicissimis temporibus sensim deflorere atque exarescere ipsae artes videantur.

SUBALPINUS.

ANNALES

Mandchouriae provinciae seditiones. — Venzuelanum civile bellum. — Albanensium consilia — Boerorum expleta deditio.

QUIETI Mandchouriam provinciam restitutam nondum esse ex Berolinensibus nunciis accepimus. Girin atque Mukden per regiones novae siciorum atque perduellum turbae per vagantur; quibus, idque est dolendum maxime, addita Europaeorum perdita mens. Russorum dico turbas, quorum plures qui captivi vel exsules in siberianis desertis degebant, effractis vinculis, vel delusa custodum vigilantia, in Mandchourenium fines irrupere, et acriori ferocia Sinenses aemulantes, domus delent et sata depopulantur. Missa in scelestos peditum equitumque auxilia; inde sperandum est audacia virorum, qui iam capite damnati sunt vel ad metalla pulsi, fore ut reprimatur.

Venezuelana seditio pariter in dies flagrat: Guayra enim ipsum portum ipsamque urbem perduellum cohortes obsederunt. Adsunt illic tamen naves Germanorum Italorumque, ut cives tueantur suos; ceterum rebelles victos iam dixerunt, quamquam simul enarrarunt pontem, in quo ferreae vehes pertranseunt, Caracas ad urbem pergentes, ab iis fuisse dirutum, pariterque submotus atque avulsos ferreos tramites, per quos via ad urbem caput panditur. Quapropter qui Caracas incolunt cives obsidione ne proxime premantur valde metunt.

Albanensium quoque regnum novis semper perturbationibus obnoxium videtur. Ut autem pax firma pariterque foecunda eius civibus redditur, qui redimendae sua genti a Turcarum servitute student postulationem publice vulga-

runt atque omnibus regibus Europae et praesidiibus communicarunt, ut sua loca ab Italiciis militibus occuparentur non aliter ac milites Astrorum Bosniaca atque Herzegowinica litora tenuerunt. Credimus hand facile Italos administris invitationi huinsmodi cessuros; periculi enim plena res est, neque novum onus obire Italos deceret, nisi ad rem consensus omnium nationum accederet.

Boeri milites composite arma Kitchener duci tradiderunt, ita ut exacta iam res videatur, et pax perpetuo composita.

Itaque qui Sanctae Helenae in insula Boeri milites captivi detinebantur in patriam redire coeperunt, dum contra legiones Anglorum in nova Africæ colonia, relicto tantum suorum praesidio, proficiebantur ut ad sua loca redeant.

Quin etiam ipsi Dewet atque Botha duces patriam relicturi praedicantur, atque in Europam venturi ad Krugerum praesidem visitandum; sero tamen ut, plurium Anglorum desiderium explentes, ferriis quae his diebus magna civium et colonorum conurus habentur ob Eduardi regis coronandum publice adsint.

POPLICOLA.

Post scriptum. — His annalibus VII kal. Iul. paelo commissis, Londinensis solemnia ob gravissimum regis morbum intermissa cognovimus. Anglorum votis libenter accedimus, ut Eduardus rex quam citissime ad sanitatem reducat, utque diutissimum regnum fauste ac feliciter obtineat.

AENIGMATA

I.
Cauda caputque petra; est inter pronomina [pectus].
A toto — heu miseri! — vitiantur saepe puelli.

II.
Urbs prior Ausoniae, pars allicit altera nares;
Totum Urbis summus longeque amplissimus [ordo].

I. SOLA.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad commentarii moderatorem miserint intra duos menses, unus, sortitus PETRI ANGELINI opus accipiet, cui titulus:

LOLLIUS

SIVE

DE PROVECTA LATINITATE.

Aenigmata an. V, n. IX proposita his respondent:

1) Ares; Sera — 2) Fax; Faex.

Ea rite soluta miserunt:

Th. Vignas Sch. Piar.; Anic. Tapias Navarro, Roma — Aguis Taurinis. — M. Iann. C. SS. R. Cervenka. — H. Gini, Liserpalo. — Collegium Scholarum Piarum Stettiae. — Princ. Gordon, Mancauio. — Rich. Malotta, Brzozow. — V. Hertel, Mendhusio. — Bern. Aleon Sch. Piar., Utiel. — I. Wabner, Varavia Potonorum. — Ad. Huza, Grybovia. — Ioan. Cantono Crivelli, Asisio. — C. Trachese S. I., Neapoli. — Aem. Crivelli, Asisio. — I. Grass, Novegio. — Alois. Cappelli, Senis. — Ver. Cariolato, Vicentia. — Petr. Garrone, Pezzana ad vost. Brioven. — C. Perazzi, Mangalore in Indis. — D. Le Pro. Sch. Piar., Sabadello. — Am. Robert, Marieville. — Lad. Lud. Podobinski, Cracovia. — Nic. Diederichs, Seccovo. — Modoetia. — Ant. Allaria, Augusta Taurinorum. — Sortitus est praemium

M. IANN.

ad quem missum est CARMELI PEZZULLI carmen historicum
DE DUPLICI

SACRI CORPORIS DIVI SOSII
TRANSLATIONE

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.
ROMA — Ex officina Pacis Phil. Cuggiani.

et praec-
Italicis
lites Au-
rea litora
s admir-
periculi
us obire
omnium

ner duci
teatur, et
la Boeri
n redire
orum in
suorum
loca re-
a duces
n Euro-
visitan-
um desi-
s magna
ntur ob-
int.

ICOLA.
Iul. praelo
regis mor-
enter acce-
tem redu-
er obtineat.

onomina
[pectus].
e puelli.

z nares;
plissimus
[ordo].
SOLA.
as inter-
rato rem
sortitus
titulus:

Roma —
— H. Gini,
A. Strong,
— Princ.
V. Hertel,
bner, Var-
n. Cantono
— Aem.
Alois. Bat-
elli, Sens.
ezzana ad
O. Le Pro-
r. Sallarés
e. — Lad.
ccovio.
— P. G. Z.

historicum
eritus.
ni.

CONSTANTINI PISONI CANDELARUM AD SACRA OPIFICIUM EXCELLENS, PRAEMIIS INSIGNE


ab anno MDCCCIII constitutum

Romae in Italia, Corso Vittorio Emanuele 127-129 et Via de' Sediari 1, 2, 3.

Vaticana Basili-
cam instruit, quoties
de Beatificatione ant-
Canonizatione so-
lemne sit.

Clientes frequen-
tissimi sunt in Urbe,
in Italia et apud ex-
teras gentes.

Fama
undique manavit.



Cereas faculas ad
noctem conficit, eas-
que ad decem usque
ac duodecim horas
diurnas, Ecclesiis
ac familiis necessa-
rias, quod pars-
moniam cum salu-
britate et munditie
coniungant.

Vitreas
faculis suppeditat.

OPIFICII PISONI PROSPECTUS

ROMAE, Via Orti Alibert 13-15 (Lungara).

Res per omnem orbem exportatur nullo iubentium impendio

PER ORBEM

ICARI exemplum, pulcherrimi adolescentis Daedalaei, cuius miserrimo fato aegeum mare nomen accepit, non satis fuit ut novissimos nostris diebus titanos ab ausu dissuaderet aethereas tentandi vias Olympique inga humanis alis attingendi. Etsi enim Severo victimam sibi iam legerit sors, audaciae eius morte rependerit praemium, mox aemulus illius civisque Santos Dumont impavidus iterum sibi gloriae aut mortis molimina parat. Qui iam Lutetiae globum confici novum mandavit atque instrui, quo dimetiatitur iterum feliciusque vias, a quibus paulo ante non sine discriminé suprema vi ventorum aerisque dispulsus est. Sit ei saltem novus monitus Hiller, Germanorum centurio ex aeronautarum legione electus, qui mox actus aero globo Munachium urbem reliquit. Nox erat, et in caelo obnubilo nulla stella, nulla lunae lumina splendebant, cum immo tempestas mota horridoque austri flatu incitantur nubes in cursum. Dum iactatur globus ad quingenta metra sublimis in aerem, strepit ecce tonitus, fulmen incenditur dissolutaque sericam sphaeram, quae, emissu subtili spiritu quo sustentabatur, in imum corruit. Hiller, quamquam utrumque crux ex lapsu fractum reportavit, vitam tamen servavit; quod heu! non contigit eius Gallico collegae Baudie, qui ad Hyeres cum ab aero globo, quem pariter ex officii ratione concenderat, praecepitasset in mare, fluctibus obrutus misere perit.

A Gallia ad Americanas regiones me facile adducunt naves ex infelici illa Martini-

cae insula appulsa, secunque non modo immanis ruinae nuntios singulos ferentes, sed etiam tristes reliquias atque signa clades horrendae; cineres dico, quibus naves ipsae copertae sunt. Concurrit ad litus multitudo, quae cum Vulcani pulverem vidit desiderio eam possidendi corripitur: nautae eam pretio ponere civibus constituunt. Felix ausus! Affluit emptores nundinae cinereae; capsula quinquaginta saltem obolis venalis fit, paullatimque, aucto commercio, crescit pretium. Quid plura? Sodalitium ad cauponam constituitur, quod « veros cineres, quos Pelée mons evomerit » auctionatur...



Rem nostris, si placeat, statim imitandam propono; adest enim occasio, quae ne vana fugiat, cavendum celeriter: Iunio enim mense quo vivimus, ac prope in aestivum tempus ingressi, mix alba, candida, frigida nix, caeleste certe non vulgare donum, in Italia aliisque Europae nationibus in arva, in sata inque iam virentes segetes concidit. Qui igitur se ob insolitum eventum male multari existimat, conclusam capsulis aestivam nivem ceteris populis singularium rerum curiosis venumdant, ut in aeternam rei memoriam asservent; accepto inde lucro arvorum detimenta brevi restuant, damnaque sibi sarciant.



Post nivalem pluviam insolitam naufragio locum concedam, Kathleen nautis piscatoribus quod occurrit. Erat plena formidinis audaciaeque cetaceorum piscatio, atque orcarum, quum

unius ex monstribus ira formidabilis ceterorum ultionem comparat. Vulnerata enim orca ex lanceae mucrone furit atque infremit, statimque tanta vi in consequentem navem concurrit, ut latus eius penitus frangat. Irrumpit in scapham unda, vixque possunt piscatores, immisis in mare ratibus exiguis, a fluctuum impetu aufugere. Undecim tamen per dies vento marique iactantur nautae infelices, quoadusque Dominicæ insulae affulserunt tandem oræ; ad quas appulsi naufragos sacramento credendum est despondisse non ultra in orcarum venationem se reversuros. Quamquam omnes sciunt in proverbium cessisse nautarum iusiurandum a ceteris haberi prorsus diversum !...

VIATOR.

PISTOLARUM COMMERCIO

Cl. v. AUG. PA., Brasov. - De iis quae ad Vocem Urbis vulgandam curasti amplissimas gratias referimus.

Cl. v. HIL. DO..., Chicagine. - Quos petiisti commentarii numeros misi. Americanas notitias a te exspectamus.

Cl. v. I. MICR..., Augustae Taurinorum. - Iam a VII num. an. II caput in Voce Urbis institutum est ad quaestiones proponendas; scribas igitur et nos edemus. De reliquis tibi satisfaciemus ubi primum in potestate erit.

Cl. v. V. HER..., Mendhusii. - Quae a Klopstocki transtulisti haud satis plana nobis visa sunt.

A SECRETIS.

Ciappomi Franciscus et Soc.
OFFICINA
ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE CAELANDIS
PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS
PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS
TEMPERANTIA IN PRETIO — DILIGENTIA IN OPERE
ROMAE — VIA SISTINA, 129 — ROMAE

EIBER (vulgo "ALBUM")
 praecipua Urbis referens, pulchritudine insignis atque, commentarii *Vox Urbis* moderatore iubente, expresse conflatus, apud eumdem commentarii administratorem, ROMAE, VIA ALESSANDRINA, 87,
 ven. lib. 1.50.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS
ROMAE — Via Alessandrina, 87

PROSPECTUS NOVÆ SUBNOTATIONIS A KAL. IULII USQUE AD EXPLETUM ANNUM MCMII.

(Vid. in secunda operculi pagina).

FIGURÆ URBIS ROMÆ
 ARTE PHOTOGRAPHICA EXPRESSÆ
 COLLECTIONES VARIAE ET NUMERO ET PRETIO
Veneunt apud comm. VOX URBIS Administratorem.

URBIS E IANICULO MONTE PROSPECTUS
 (m. 1.10 X 0.24)
 qui sociis commentarii VOX URBIS dono datus est,
 venit singillatim L. 2.50
apud comm. VOX URBIS Administratorem.

SI QVIS PLURA REQUISIVERIT HUIUS PROSPECTUS EXEMPLARIA
 EA MINORI ACCIPIET PRETIO.

Ai Sociis qui in Nordica America versantur vehementer commendamus quod a Sodalibus Carmelitis novissime institutum est ac regitur

COLLEGIUM SANCTI CYRILLI

ad liberalem eamdemque Christianam et nostræ aetati aptam institutionem iuvenibus comparandam.

Prospectus studiorum et regularum, quae collegium moderantur, petatur ab ipsius Collegii Presidente, 6413 Star Avenue (Woodlawn) — Chicago, Illinois.

LE LAUDI LATINE
 E
IL CANTICO DEL SOLE
 DI
S. FRANCESCO D'ASSISI

S. Maria degli Angeli, presso Assisi, tip. della Porziuncula, 1897

Hoc libello praeter venustam praefatiunculam a Paulo Sabatier, viro rei longe peritissimo, conscriptam, continentur laudes latinae cum interpretatione italica, *Canticum Solis*, necon illa Speculi perfectionis capita, quae *Cantici* originem exponunt, aliaque permulta. Libellum, quem proxime aliis subsequentur ad parvam Bibliothecam Franciscanam comparandam, Iulius Salvadori, litteris tradendis doctor egregius, maxima edidit cura. Romae apud commentarii *Vox Urbis* Administratorem venit L. 0.50, in pauperum levamen.

PHILIPPUS VITI Eques
 MARMORARIUS

ROMAE - Via Alessandrina N. 51, 52 - ROMAE

Affabre sculpit quae sunt ad simulacra, altaria, sacella, aediculas, uti patet ex operibus erectis aut refectis in Basilica Lateranensi, Liberiana, Laurentiana extra muros, Transtiberina, Eudoxiana, etc.